

VI 69 L Dissertations miscell. Vol. 2. 1. 1
a)
Epistola consolatoria

REVERENDI
AC CLARISSIMI VIRI
DAVIDIS CHYTRAEI SACRAE
Theologiae Doctoris ac Professoris in
Academia Rostochiensis,

ad

GENEROSVM VIRVM HENRI-
CVM RANZOVIVM, Regium in ducatus Hol-
satiæ Vicarium, &c. de immaturo obitu
filij Caij, viriliter ferendo

cum

Eiusdem H. R. Responsoria

Quæ præter Theologica etiam Philosophica ex-
hibet testimonia.

QVIBVS ADIECTÆ SVNT PRÆNOMINA-
TI H. R. SACELLI NOVI, SARCOPHAGI LAPIDEI,
& monumenti marmorei Itzehoræ erecti inscriptiones ali-
quot, cum nonnullis alijs de fragilitate vitæ hu-
manæ epigrammatibus.



LIPSIÆ,

ANNO M. D. XCI.

Ung VI 67





CONSOLATORIA
DAVIDIS CHYTRÆI AD
Henricum Ranzouium.

S. D.



NOBILIS & Magnifice
Heros, patrone colende, Po-
steaquam de nobilissimi ge-
neris ac ingenij iuvene, se-
nilem prudentiam & vir-
tutis maturitatem, ante an-
nos adepto, filio tuo, CAIO,
superioribus diebus ex hac vitâ euocato, intel-
lexi: ad officium pietatis & gratitudinis, Do-
mino & patrono de me optime merito debita,
pertinere iudicavi, συμποθέω meam & doloris ac
mœstitiæ societatem, tali tempore declarare. Vult
enim Deus nos aduersis amicorum & patrono-
rum casibus vero mœrore affici, & simul de

A 2

com-

CONSOLATORIA

communi natura nostrae infirmitate, de causis ingentium miseriarum & mortis humanae & de fontibus consolationum, quos Deus monstravit, cogitare. Magnum quidem & acerbum vulnus praepropera & immatura mors talium liberorum cordi nostro infligit, in quibus Ingenium caeleste suis velocius annis surgit, & ante annos animumque gerit, curasque viriles: qui virtute & industria singulari exculti ac politi, iam patriae suae & Regibus ac principibus, patriae Dominis, cum laude servire coeperant: & quos, si diutius vixissent, magno reipublicae & suis praesidio & ornamento futuros, spes erat. Sed non casu fortuito, nec causis secundis tantum nasci & occidere homines, ut pulcherrimi arborum & herbarum flores hoc anni tempore subito defluunt ac pereunt, vel ut poma, alia matura, alia ante maturitatem, decidunt, Sed certo Dei patris caelestis consilio & voluntate, certa vitae spacia, alijs longiora, alijs breviora tribui scimus. Definiti enim dies hominis sunt, ut vox divina inquit, Numerus mensium illius penes te Deus est, consti-

constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt. Etsi autem causas diuini consilij, optima quaeq; prius à nobis auferentis, & impleri numeris deteriora suis permittentis, omnes perspicere non possumus: tamen cum omnibus hominibus statutum sit semel mori: multis calamitatibus & periculis tempestiuè morientes praeripi, non solum exempla plurimorum, fortunà, potentia, dignitate, florentium, Pompeij, Ciceronis, Cræsi, Polycratis, Valeriani Caesaris, &c. quibus diutius vixisse nocuit; verum etiam caelestia oracula confirmant. Et uno veluti fasce, Seneca, mortis tempestinae commoda complectens, exclamat; O ignaros malorum suorum, quibus non mors, ut optimum naturæ inuentum, laudatur; quae siue felicitatem includit: siue calamitatem repellit, siue satietatem aut lassitudinem senis terminat: siue **IUVENILE AEVVM, DVM MELIORA SPERANTVR IN FLORE** deducit: siue pueritiã ante duriores gradus reuocat: Omnibus finis: multis remedium, quibusdam votum:

CONSOLATORIA

de nullis melius merita, quam de ijs ad quos venit, antequam inuocaretur. Floruit Filius tuus, ingenij sagacitate & prudentia senili: singulari in rebus agendis dexteritate ac industria; morum grauitate, & victore omnium voluptatum animo, plane an huc iuuenis. Iam quicquid ad summum peruenit, ad exitum properat, ait idem Seneca; Eripit se aufertq; ex oculis perfecta virtus, nec vltimum tempus expectant, que in primo maturuerunt. Ignis quò clarior fulsit eò citius extinguitur. Sic ingenia, quò illustriora, eò breuiora sunt, ut de Marcello adolescente, Augusti sororis filio, Virgilius cecinit, Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra esse sinent. Augustus ipse vinum & vnicum ferè inter reges, Aristotelicæ beatitudinis, cum excellenti sapientia virtute & felicitate, cetera etiam fortuna bona coniuncta habentis, exemplum; duos nepotes suos Caium & Lucium, in quibus spem generis & imperij precipuam collocarat, amisit. M. Cato, ille sapiens & senex, filium pratorium, virum optimum & virtute prestantem,
terra

terra se mandasse refert, cum contra sibi ab illo parentari decuisset. Paulus AEmylius ille, qui Perseum Macedonia regem, à se captum, in triumpho duxit, cum ex quatuor filijs, duos adoptandos, in Scipionum & Fabiorum familiam dedisset; duos superstites, illis ipsis triumphis diebus ante se ex hac vita migrare vidit.

Hac cum summis istis Imperij Romani luminibus, & alijs, Principibus & privatis, in Ecclesia Dei euenerint; iniustum esset à nobis similia onera recusari, praesertim cum Deum sapienti & gravissimo consilio, nostra potissimum utilitatis & salutis causa, nos morbis & nostrorum morte, & alijs aduersis casibus interdum exercere sciamus, ut timor DEI, fides, inuocatio nostra, patientia, & ceterae virtutes, quae rebus omnibus ad voluntatem fluentibus, languidiores fiunt, & paulatim prorsus extinguuntur; per crucem & calamitates in nobis explorentur, exercentur, crescant & confirmantur.

Verè

CONSOLATORIA

Verè enim Demetrius, vitam securam & sine ullis fortuna incursionibus, Mare mortuum appellat, quod nullis ventorum flatibus, ut cetera agitetur, nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione & incursum firmitatem animi tu tentes, ut Attalus etiam, Stoica disciplina Philosophus, dixit, malle se, ut eum fortuna in castris suis, quam in delicijs habeat. Sed nostra potius Philosophiae principis Christi testimonijs utamur, qui omnis doloris ac erumnarum expertes, pro spurijs & nothis, non pro filijs à Deo haberi ostendit. Quis enim est filius, quem non erudit subinde & castigat pater.

Quod igitur, te quoque, non Aristotelica solum felicitate ut de Augusto Casare paulo ante dixi, sapientià, virtute, doctrinà, splendore, glorià, flore liberorum, opibus, latifundijs, plena auctoritatis & dignitatis senectà vigentem: sed etiam post mortem, securam beatitudinem in cœlis aeternam expectantem: subinde mortalitatis & fragilitatis humanae Deus tuorum funcribus &
alijs

alijs rebus incommotis admonet, benevolentiam Dei erga te paternam, hac quoq; in parte agnosces, nec voluntati Dei vehementius repugnabis.

Cumq; carissimus filius tuus, in vera agnitione & invocatione filij Dei Domini nostri Iesu Christi decesserit: certo statuimus, eum in aeterna cum Deo & Ecclesia caelesti consuetudine, consecutum esse aeterna cum Christo gaudia, & letari, se miserijs arumnose huius vitae mortalis persunctum esse, & nunc coram frui conspectu & voce filij Dei & clarissimorum regum Davidis, Iosiae, Constantini, Caroli I. Christiani III. Friderici II. & nobilissimi Herois, Ioannis Ranzouij, aui paterni & fratrum qui eum praecesserunt; & tuam ac nobilissima matris & fratrum, sororumq; superstitem salutem DEO commendare.

Quod si in Christum credimus, & fidem verbis ac promissis eius habemus (inquit D. Cyprianus) cur non cum Christo futuri & de Domini pollicitatione securi, ad Christum, cum quo

B

victuri

CONSOLATORIA

victuri & semper regnaturi sumus, lætâ securitate venimus? Quis non ad meliora festinet? Iam terrenis cœlestia, & magna parvis & caducis aeterna succedunt. Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest. Eius est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire; eius est nolle ad Christum ire, qui se non credit cum Christo regnare. Et paulo post: Non igitur sunt lugendi fratres & liberi nostri, accensione dominicâ de seculo liberati: Cum sciamus, non eos amitti sed præmitti; recedentes præcedere: ut proficiscentes & nauigantes, desiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas hic esse atras vestes, quando illi ibi indumenta alba iam sumserint.

Non dubito autem, te, uniuersam Ecclesie doctrinam, & hunc præcipuè portum vite ac salutis aeternæ, in quem filius tuus tempestiuo cursu iam peruenit, intuentem, & hæc, quæ commemoravi omnia & alia dolorum remedia cogitantem, mediocriter in Dei voluntate adquiescere
& mœ-

Et mœstitiæ repugnare. Exsistimavi tamen ad
 officium patrono Et amico de se optimè merito
 pertinere tali tempore, aliquam communis mœ-
 stitiæ Et luctus significationem ostendere. Quod,
 te, tali sapientiâ Et bonitate virum non asper-
 nari, confido. DEK Maternum Patrem Do-
 mini nostri Iesu Christi, fontem omnis consola-
 tionis Et vitæ presentis ac æternæ, ardentibus vo-
 tis precor, ut tibi, Et nobilissimæ coniugi tuæ, vi-
 res animi Et corporis confirmet, Et vitam ad
 multorum hominum Et Reipublicæ salutem pro-
 roget, Et uniuersam familiam vestram
 incolumem Et florentem perpetuò
 seruet. Data Rostochij Cal.
 Maij, Anno Ch.

1591.



B 2

RESPON-

RESPONSORIA
HENRICI RANZOVII

ad

Consolatoriam, D. Davidis Chytræi.



Literas tuas Christianæ pietatis & humani officij plenissimas, Reuerende ac Clarissime Vir, quibus me de immaturo filij mei Caij Ranzouij, in ipso æuj flore extinctj, obitu consolaris: accepi cupidè, & spe bonâ, operam in id à te collocatam esse, vt meum sedare studeres obortum dolorē: Legi, hoc ipso fructu efficacj percepto. Non solum enim egregiam multorum clarissimorum virorum, qui parem mecum experti sunt amissis liberis fortunam continebant enumerationem: Sed etiam ex ipsis sacris literis, verissimis nempè consolationum fontibus, certa remedia proponebant. Quo factum est, vt dolorem ac luctum ex hoc tristi casu contractum non parum leuarj atq; lenirj deprehenderim.

R E S P O N S O R I A H. R.

henderim. Quocirca pro hoc officij genere gratias tibi habeo quam maximas.

Et quidem, ingenuè fateri cogor: me legisse consolationes philolophicas, cum eam quam libellus M. T. Ciceronis, de luctu minuendo, in quo seipsum de morte filiaë consolarj conatur, exhibet: tum alteram quam olim Iacobus Sadoletus, initio Apöstolicus cubicularius, postea Cardinalis ad Iohannem Camerarium Dalburgicum Episcopum VVormatiensem, & quondam Maximilianj I. Imperatoris Consiliarium de obitu matris Româ scripsit: Meditationes item in aduersis quæ Authore Ioachimo Camerario Papebergenfi, exstant Occurrerunt adhæc magnorum virorum tam Græcorum quàm Romanorum atq; etiam domesticorum exempla innumera quæ ad animi firmitudinem comparandam valent.

Anno Ch.
1502.

Pericles enim, amissis duobus filijs, coronatus nihilominus in concione differuit.

Xenophon sacrificans, cum audiret filium fortiter dimicantē occubuisse: deposuerat quidem coronam, eandem tamen continuò capiti iterum reposuit.

Anaxagoram, cum ei mors filij renunciare-

B 3 tur,

RESPONSORIA

tur nihil aliud dixisse ferunt, quam genuisse se illum mortalem.

Demosthenes orator ille insignis, amisâ filiâ unicâ, septimo die indutus albis vestibus coronatusq; in publicum processit.

Rex Antigonus auditâ filij Alcyonej, magno animo dimicantis, & medijs in hostibus occumbentis morte, nihil aliud dixit, quàm tardius, ô filij, audacter in hostem impetum faciendo, meâ opinione cecidisti.

Quintus Martius Romanorum Rex, cum unicum filium amisisset, eo ipso die, quo filij rogum spectarat, curiam ingressus senatum convocavit.

Harpagus Medus, cum filius interfectus ipsi inter epulas iussu Regis suj Astyagis proponeretur, nihil perterritus, quidquid Regi placeret, sibi non displicere innuit.

Prexaspes morientis filij, cum Cambyfes iaculo eum transuerberasset, sine inditio doloris spectator fuit.

Lucius Paulus prætereâ duos filios spacio septem dierum: Lucius Bibulus totidem filios, ab Ægyptio milite crudelissimè necatos: Publ.

Crassus

Crassus in conspectu suo filium: D. Iulius vnicam filiam: Diuus Augustus liberos & nepotes, quorum & tu, mi Chytræ, mentionem facis, & omnium suorum Cæsarum turbam: Q. Fabius Maximus vno die vxorem & matrem, filium etiam paulò post Consularem amisit.

Ex his quisq; suorum interitum infracto animo tulisse proditum est.

Recens etiam duo illi Nobiles Holsati, Petrus Dominus in Troieburg, ac Dethleuus Dominus in Kletkamp, Ranzouij, ambo gentiles & agnati mei charissimi, postquam vnius anni spatio, patriâ procul, vitâ excelsisse vnicum suum filium vterq; cognouit: mirum in tam acerbis casu, quàm viros Christianos & à nobilitate fortitudineq; Cimbrorum veterum haud alienos se præstiterunt: Petrus in primis, qui vt ætate, ita animi præsentia & firmitate Dethleuum superauit.

His exemplis omnibus non parum à sollicitudine me abduci sentio: præsertim hoc etiam considerato: mala, quæ nec vitari nec humanis viribus auerti possunt, ferenda esse toleranter.

Verum-

R E S P O N S O R I A

Verumtamen nihil magis me consolatur quam spes & fiducia, quã de resurrectione mortuorum, immortalitate animæ ac vitâ æternâ certam concepi, de illâ ex verbo diuinitus patefacto edoctus: Secundum quod in sacris literis exposita exempla Patriarcharum, Abrahamj & Iacobi, Regis Dauidis, Iobi, & aliorum sanctorum intuenda & imitanda, quatenus mea hoc fert tenuitas, spiritu diuino suffulta, mihi propono. Vel vnus Apostoli locus in prioris Epistolæ ad Corinthios XV. Capite, sæpè à me relecto, cui non eximat omnem dubitationẽ, de futurâ piè defunctorum gloriosæ resuscitatione? Disserit de hac luculenter & prolixè D. Paulus disertè docens: Quomodo & quali corpore resurgent defunctj, & prodibunt vitæ restitutj: afferens imaginem & experimentum vulgò cognitum, de semine, quod non viuificatur nisi emortuum fuerit: Et cui D E V S dat corpus sicuti voluit: & vnicuiq; seminum proprium corpus. Quam partem Apostolicj typi venustissimè illustrat Tertullianus in libro de resurr. carnis. Scribitur solummodò granum inquit, sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine nutrimento aristæ, sine superbiâ culmj: Exurgit autem co-
piâ

piâ generatum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & vsquequaq; vestitum. Hæc sunt ej corpus à Deo aliud, in quod non abolitione sed ampliacione mutatur. Hæc ille.

Ad quem etiam modum nostra hæc corpora terræ mandata & corrupta, resurgent in potentiâ, οὐ ψυχικὰ, ἀλλὰ πνευματικά. Planè enim & significanter τὸ φραστὸν τῆτο ait D. Paulus: Quæ verba Theodoretus suo quodam dialogo insigniter vrget & ponderat sic scribens: ὄρα, πῶς ἀκρίβειαν τὸ δυντὸν τῆτο, ἔδειξε δεικνῶν, ἵνα μὴ ἄλλης νομίσης σαρκὸς ἀνάστασιν. Quod ita interpretarij conatj sumus: Vides accuratam expressionem, Mortale hoc, quasi digito extenso monstravit, ne putes alterius carnis (præter hanc quam circumfers) resurrectionem.

Quid prohibet? inter alia argumenta neutiquam dubia, quæ confirmant persuasionem piorū animis altè infixam de redituro aliquando in corpora emortua vitæ sensu: quo minus huic quoque considerationj aliquid tribuatur. Compertum habeo, corpora humana iamdudum extincta, exsanguia, omniq; vitalj spiritu carentia, etiam post longum temporis interual-

C

lum

RESPONSORIA

Ium eundem subire ac stillare sanguinem. Libet eius rei duo exempla certò cognita hoc loco commemorare.

Vnum factum recordor Christiernum II. eius nominis Regem Daniæ mihi narrare. Aulicorum suorum quidam, tempore vespertino cum lis inter eos exorta esset, luminaribus extinctis, stricto pugione interemptus est in conclauj: in quo tunc temporis præter Regium cursorem, adhuc vndecim aut duodecim aulicj nobiles conuenerant. Cum autem de cædis authore non constaret ac nobiles culpam in cursore conferrent: Rex vero cursorem, quem singulari fauore complectebatur, existimaret extra noxiam esse, & nobiles contra cursorem conspirasse: omnes in conclauj dicto congregatos simul custodiae tradi, ac prope corpus interfecti sisti, singulosq; manum dexteram nudo illius pectorj admouere, ac iurato se purgare coëgit, quòd extra culpam patratæ cædis essent constitutj. Id cum à nobilibus ordine fieret: corpus occisi nullum signum emanantis cruoris edidit. Accessit tandem cursor admissj sceleris conscius: Hic mortuuj pedes primùm dolosè deosculatus est, vt eum hac ratione ob commissam cædem placaret: deinde

deinde vero manu ad exanime pectus defuncti applicatâ statim sanguis tam ex vulnere, quam ex naribus cadaueris magna copiâ erupit, necis-
que authorem ostendit. Cursor huiusmodj sanguinis inditio conuictus, conscientiaq; sceleris adactus, facinus confitetur. Proinde mandato Regis capitis supplicio statim est affectus.

Idem factum Illustris. Dux Megapolensis Vdalricus Sophiæ Danorum Reginae pater Regem Christiernum commemorantem audiuit, quod tibi percontantj oportune opinor exponet. Quin & hodierno die viuunt nonnulli Nobiles qui de hac cæde fuerunt accusatj. Post hæc Christiernus eum modum explorandj cædium authores in toto suo regno obseruari passus est. Testarj videtur de consimilj admirando inditio reorum homicidij dictum Genesis 4. Clamauit vox sanguinis fratris tuj de terra, &c.

Addam exemplum alterum, quod patris meij tempore Itzehoæ accidit. Quidam viatorj in itinere interfecto, quod de latrocinij authore non constaret, manus resecta, ac in carcere Senatus Itzehoensis ex tigno in fumo suspensa est. Tandem cum fortè fortunâ, post decem annorum interuallum, author cædis in eam domum

RESPONSORIA

se recepisset; manus iamdudum exsanguis & arida, sanguinem ex alto in mensam subiectam stillare cepit. Ex quo coniectura facta est, hominem latrocinij reum existere. Carnifex visa senatui indicat: Hic homine in vincula coniecto, patrem meum accersit: Latro, eo praesente, euidens iudicium diuinum agnoscens, caedemque ante multos annos a se perpetratam affirmans, iustam sceleris poenam, quam sibi infligi vltro petijt, persoluit.

Huiusmodi exempla ego cum multis alijs in hisce alijsque regionibus aliquando adhibitus, emergentibus eius generis casibus obseruauj, quæ icio verè ita se habere. Nec dubito, quintu quoq; eadem Rostochij obseruari.

Vidimus etiam corpora mortua interdum emittere sanguinem, proximis cognatis ad ea accedentibus. Iam, vt iterum dicam, quid vetat? praeter luculenta resuscitationis mortuorum testimonia sacra hæc quoq; exposita, inter alia illustria resurrectionis vestigia, quæ Deus impressit toti rerum naturæ, assumere atq; inde colligere: Si in corpus mortuum, quod omnis sensus & sanguinis expers, & iamdudum aræfactum est sanguinem redire ac inde emanare
cerni-

cernimus: Si luna singulis mensibus lumen amissum recipit: Si appetente vere terra reducit gramina; flores fruges: Si arbores frondibus floribus, fructibus vestiuntur: Si insectis frigore hyberno extinctis vigor & vita restituitur: Si Phoenix ex flammâ & cineribus, vt dicunt, renascitur: Nam perit vt viuat, se tamen ipsa creat, Æternam vitam mortis adepta bono, &c.

Profectò in dubium vocari nequit, corpora humana ad vitam æternam diuinitus quoq; resuscitarij, cumq; animâ iterum copulari posse.

Quâ quidem spe ac fiduciâ secuturæ alterius vitæ beatæ, nisi me erexissem: & cogitassem unicuiq; certum vitæ terminû præfinitum esse à Deo quem præterire nemini liceat: ac Deo nos ex hac statione euocanti parendum esse: iam dudum perturbationi animi atq; dolori succubuissem, & cum Cicerone dixissem: Cedo & manum tollo: quod ipsum tamen virum grauem haud decuit. Non enim pauca, nec exigua aduersitates ex frequentia funerum, intra aliquot annorum spatium me exercuerunt. Nam non solum parentes meos, & fratrem unicum Paulum, sororemq; vnam, me iuniores: Sed etiam præter filiam, quatuor filios amisi: quo-

RESPONSORIA

rum duo eô ætatis processerant, vt tum Regibus ac Principibus operam suam vtiliter iam nauare: tum etiam mihi ætate confecto, meisque præsidio ac ornamento esse potuerint: ac maiore quidem, Si Deus opt. Max. longiorem huius vitæ vsuram ipsis concessisset, vt interim silentio præteream fratris filios, ac meos nepotes cum neptibus subindè mihi ereptos? atq; inter neptes ante paucos menses Idam ex filiâ Elysbethâ natam. Præmatura etiam mors Sereniss. Regis Daniæ, Friderici II. me summoperè commouit, magnamq; mihi luctus acerbitatem attulit. At hunc filij Caij casum, quod nouissimus esset, præ reliquis omnibus grauius aliquantulum tulij: Hic enim debitâ obedientiâ promptissimoq; obsequio, æquè ac cæterj liberj, me singulariter coluit. Accessit quod Reuerendiss. ac Illustriss. Archiepiscopus Bremensis Iohannes Adolphus, Dominus meus clementissimus, decreto stipendio honesto, ipsum in collegium Consiliariorum Holsatiæ asciuerat, præfecturamq; arcis Gottorpiensis amplissimâ ipsi commiserat: & quod meo & materno consilio nuptias cum lectissimâ & pudicissimâ filiâ Theodorici Blomij, iam ipsi desponsatâ, breui celebraturus

braturus erat. Quo ex felicj rerum successu, in hac senili meâ ætate, non parum subsidij ac solatij, maioremq; amicorum & affinium numerum mihi eram pollicitus. Sed Deo aliter visum est. Acquiescendum igitur, iuxta exemplum Iobi: Et Deo accepta reuerenda *εὐτεκνία*: cuius hoc præcipuum beneficium interpretor, quod se, donec essent superstites liberj, morigeros declararunt parenti utriq;. Quocirca illis corporalis vitæ munere perfunctis, diuinæ voluntatj minimè esse refragandum duxi.

Huius meæ erga Deum subiectionis, & præsentis animj, testimonium complures qui Caio filio morientj mecum vnâ adfuerunt, abundè satis sunt præbiturj. Viderunt enim non paucj, flexis genibus & vero cordis affectu Deo immortalis animam illius me cōmendare; & oculos placidè consopitj proprijs manibus claudere. Plures fuerunt *αὐτόπῃαι*, quod ab administratione Regionum negotiorum, quibus proximum triduum ab obitu filij consumptum est, in præsentia Serenissimæ Reginæ Daniæ & quibus magna omnium admiratione Segebergæ interfuj, me auocarj passus nō fuerim: Sed singularē adhibuerim animj præsentiam ac in rebus gerendis de studio pristinj illius mej constantisq; moris remiserim nihil. Cum

R E S P O N S O R I A

Cum funus Bredenberga Itzehoam vicinum in oppidum deduceretur, Legatis Reginae Daniæ, & Archiepiscopi Bremensis atq; Antistitis Lubecensis, qui ad cohonestandam pompam funebrem missi erant, propinquis itidem, gentilibus & amicis meis, ob commodatam præsentiam suam, consueto orationis filo, in cœmiterio ipse gratias publicè egi. Plerosq; consimilibus casibus conflictantes, sæpenumero ita occupare dolorem cernimus: vt & vox ipsis interceptiatur, & inter singultus atq; suspiria materia sermonis ægrè suppetat. Concionj insuper & exsequijs funebribus interfuj: & exuias in auitum monumentū sine animj commotione singulari in præsentia meâ deponj curauj. Omnino ita faciendum fuit, nisi mej dissimilimum me perhibere: & ab eius generis subiectionibus, quas, mi Chytræe, præclaras tua Epistola es complexus abhorrentem, vniuersis me præbere voluissem conspiciendum. Quapropter vt ita me comparare possem: multiplicj consolatione animum tristitiâ affectum non tantum obfirmauj: Verumetiam mecum mente volutauj: Huius corporis compage soluto mihi ad filium Caium (cui vt parentibus, fratri, sorori & filio

Theodo-

Theodorico, oculos propria manu compressi, post sumptam sacram Eucharistiam, & pia recordatione meritorum filij Dei spiritu exhalato) paulò post emigrandum esse: ac post hanc omnibus hominibus communiter propositã mortem, nos tandem simul cum illo bonis omnibus circumfluente, cœlestium Angelorum & beatorum cœtu; coniunctos, vitam perpetuam rursus esse adepturos: ac beatæ immortalitatis compotes, iucundissimo conspectu augustissimæ diuinitatis in æternam perfruituros inter cœlestes æternitatem, quam nulla temporis circumscriptio metietur.

Atq; sic licet mœstj & molestijs infinitis confectj, ex ordine hospitio excelsimus: lætos tamen & recreatos in cœlestj patria, corpore & animo $\epsilon\nu\ \rho\iota\pi\tilde{\eta}\ \delta\phi\theta\alpha\lambda\mu\tilde{\varsigma}$ rursus esse conuenturos.

Quod ipsum complexus sum, & ad posteritatem testatus, sequenti inscriptione, qua Sacellum in monumentum & conditorium patris matris, filij mei Caij, & posterorum, Itzehoæ de integro ædificatum, exornauj: vt is etiam locus consolationis aliquid mihi adderet, quem pia affectione in religiosum conuertj.

Restat, vt tres etiamnum superstites filios, ac

D

quatuor

quatuor filias, cum 20. nepotibus ac neptibus,
Deo clementissimo incolumes seruandos & gu-
bernandos vt sint salutaria organa, sibi, & alijs
ardentibus votis assiduè commendem.

Tu quoq; longùm vale, Mi Chytræ, bono
ecclesiæ & studiosorum eruditionis vsibus: Cu-
ius vel vnicæ suauitas vitam propter ingruentes
varias molestias alioquin ingratham, reddit vtri-
que nostrùm iucundam. Datæ in arce
meâ Bredenbergâ Calendis Iunij,
Anno Christi

1591.



INSCRI-



INSCRIPTIO SACELLI


Itzohoensis de integro ab Henrico Ranzouio constructi.



GO Henricus Ranzouius, trium Daniae Regum in Ducatibus Vicarius ex vnanimi Dom. Abbatissae Catharinae Alefeldiae, & consulum urbis Itzohoe, ac templi ibidem D. Laurentij Curatorum consensu, Quibus ad aedificationem eiusdem 470. tetradrachmas dedi, anno à partu semper virginis M. D. XCI. Aetatis verò meae LXVI. hanc aediculam seu Sacellum exstrui, Deoq; Trino ac vno dedicari ac consecrari feci, inq; illud ex auita jam penitus repletâ & nimis angustâ cryptâ, Patris, matris, & filij Caij corpora transferri curavi, vt esset tam mei ipsius, conjugisq; Christinae ab Hallen vnicè charissimae & posterorum, quàm vtriusq; parentis & filij conditorium commune. Cum quibus etsi nunc non queo loqui: Tamen à morte inuicem ossa miscebimus nostra & quemadmodum in terris viximus vitam mortalem, sic in caelis iterum resuscitati, viuemus aeternitatē aeternam.

D 2

INSCRI-



INSCRIPTIO SARCO-
PHAGI, QVEM IDEM H. RAN.
 mortalitatis memor ex solido lapide excavari
 & in prænominati conditorij medio, ad
 se in eo sepeliendum poni
 curavit.

In hoc Sarcophago conditus est
 Henricus Ranlouius, Iohannis fi-
 lius, Henrici nepos, Bredonis pro-
 nepos, Caij abnepos, Regis Danie
 Christiani III. Friderici II. &
 Christiani IIII. olim vices in Ducatibus Sles-
 uicensi, Holsatia & Dithmarsia gerens, prae-
 fectus arcis Segbergensis, Dominus in Breden-
 bergk, Ranlou, Ranlouisholm, Nutschou, Mel-
 beck, &c. qui vixit annos ---- mortuus anno

איוב יט
 וְאֲנִי יָדַעְתִּי בְּאֵלֵי חַי וְאַחֲרָיון עַל-עֵפֶר יָקוּם

Condidit Henricus monumentum hoc nomine Ranzo,
 Pro se, proq; suæ posteritate domus.

HEN-

HENRICVS RANZOVIVS

Vicarius Regius ad imitationem Pontani de suo Sarcophago.

Viuus lapideum hunc mihi paravi lectulum,
In quo iacerem mortuus.

Noli obsecro me mortuum lacescere,

Qui viuus obfui nemini.

HENRICVS ille namq; sum RANZOVIVS

Regis Dani VICARIVS.

Quem plurimum plures amarunt Principes,

Suiq; passim subditi.

Quem docti honestarunt viri, cumq; improbis

Laude cumulauerunt probi.

Nunc, HOSPES, ecquis sim aut mage fuerim, tenes?

Veruntamen qui tu fies,

Non cognitum est mihi, igitur vt teipsum bene

Noscas rogo. His longum VALB.

SYMBOLVM HENRICI
RANZOVII.

Mors huius vitæ, æterna vitæ natalis:

cum signo Cranij.

Grana velut putrefacta nouas meditantur aristas,

Corpus sic gignent ossa sepulta nouum.

Nempe ex interitu fuit instauratio nostri,

Principiumq; boni finis acerbus habet.

D 3

Huius

Huius Ranzouij Symboli æquipollentia.

Mors vitæ principium.
Interitus instaurat.

Corruptio generat.

Finis præteriti, principium futuri.

Victus morere.

Miseria felicitatem parit.

τὸ παρὸν οὐδ' ἐμ τὸδε μέλλον ἅπαντα.

Futura præsentia non videbunt, sed præsentia futura.

Induuiæ exuuiarum non erunt memores

πάντα παλαιὰ νέα.

Quæ omnia absq; Christo rationi erunt aut absurda aut paradoxa.

Prudentius.

Mors hæc reparatio vitæ est.

D. Bernhardus.

Mors piorum est finis malorum & janua ad vitam.

Aliud, D. Pauli ab Eitzen.

Viuentes morimur, morientes viuimus, ergo

Vive memor mortis, mortemq; pauescere noli.

Vita malis plena est, pia mors, pretiosa quies,

Vitam mors sequitur, sed mortem vita beata,

Mors nobis lucrum, quia vita est Christus Iesus.

Aliud.

Securus moritur qui scit se morte renasci

Non ea mors dici sed noua vita potest.

INSCRI.

INSCRIPTIO MARMOREI
eiusdem H. R. monumenti.

HENRICUS Ranzouius Ducatum Re-
giorum in Holsatiâ Præsident & Guberna-
tor, præter reliqua parentibus, filijs & filia-
bus, erecta monumenta, etiam singulare mar-
moreum, cuius typus hîc subiectus est in pariete templi
Itzohoenfis, sibi parari & illud reliquis majorum Epita-
phijs adjungi viuens fecit, in quo tum ipse tum ejus
vxor, filij filiaeq; omnes sacrosanctam Trinitatem vene-
rabundi intuentes, ad viuum expressi sunt, cum inscri-
ptione tali:

DEO TRINO ET VNI SACRVM.

HENRICUS Ranzouius, Iohannis filius, Regiæ
Majestatis Daniæ in Ducatibus locum tenens, Dominus in
Bredenberck, Drakenburgk, Rintelem, VVellingsbuttel, Hat-
tedt, Tuschbeck, Ranzouisholm, VVandesbeck, Bucken,
Melbeck, Redingstorp, Ouendorp, Nutschou, Nuchel, Grö-
nou, Stelnou, Erffradt & Rantzou, hoc monumentum in hono-
rem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ac memoriam majorum suo-
rum, juxtâ Altare S. Trinitatis sepultorum, propter loci com-
moditatem hîc poni curauit, Anno 78.

Morus de Morte.

Nos semper mortem procul, & procul esse putamus,
At medijs latet hæc abdita visceribus.

Paulatim morimur, momento extinguimur vno,
Lampas vti hîc oleo deficiente perit,



ANZOVICA SVNT
TIRPISHEC IN SIGNIA



HALLIA GENS HÆC
GESTATA ARMA NOBILIS



FRANCISCO THEODORICO
BREIDO CAIVS
FRIDERICO IOHANNES
GERHARD9

HINRICVS RAN
ZOVIVS
CHRISTINA
AB HALLE

MAGDALENA ELISABETA
CATHARINA MARGARETA
OLEGARDIS.

HINRICVS RAN
ZOVIO IOH RAN
F REGIS DANIE
INDVCATIBVS
HOLSATHIE. LO
CVM TENENS
MORTIVVS AO
DOMINI
MENSE
DIE ANNO
ETA
TIS

ESAIAS
TERRA MANES

XXVI.
EIICIET.

Umg. VI 67

[Dissertationes

miscell. Vol. 21.]


ULB Halle

3

002 402 475



A-20






VI 62 [Dissertationis miscell. vol. 2. 1. 1.] a)

Epistola consolatoria

REVERENDI
AC CLARISSIMI VIRI
DAVIDIS CHYTRAEI SACRAE
Theologiae Doctoris ac Professoris in
Academia Rostochiensi,
ad
GENEROSVM VIRVM HENRI-
CVM RANZOVIVM, Regium in ducatibus Hol-
satiæ Vicarium, &c. de immaturo obitu
filij Caij, viriliter ferendo
cum
Eiusdem H. R. Responsoria
Quæ præter Theologica etiam Philosophica ex-
hibet testimonia.
QVIBVS ADIECTÆ SVNT PRÆNOMINA-
TI H. R. SACELLI NOVI, SARCOPHAGI LAPIDEI,
& monumenti marmorei Itzehoæ erecti inscriptiones ali-
quot, cum nonnullis alijs de fragilitate vitæ hu-
manæ epigrammatibus.



LIPSIÆ,
ANNO M. D. XCI.

